

*Nf. 20.*





DISSERTATIO,  
<sup>QVA</sup>  
ILLVSTRI  
<sup>DE</sup>  
**PROPHETA**

MIRACVLOSE  
A LEONE NECATO  
HISTORIAE,

*I REGVM XIII DESCRIPTAE,*  
LVX PHILOGICA ACCENDITVR,

<sup>QVAM,</sup>  
AVSPICE DEO,  
*Consentiente Inclyto Philosophorum Ordine,*  
IN ACADEMIA PATRIA

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI  
*Ad D. Septembr. MDCCXXXIII.*

SVBIIIVNT  
PRAESES  
**M. IO. FRIDERICVS STIEBRITZ,**

ET  
RESPONDENS  
CHRISTIANVS FRIDERICVS BOEHME,  
S. S. THEOL. ET PHIL. CVLT.

---

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, Acad. TYPOGR.



PATRIBVS PATRIAE  
VIRIS  
*AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, PRVDENTISSIMIS,*  
SOLLERTISSIMIS  
CIVITATIS HALENSIS  
CVRATORIBVS

GENERIS DIGNITATE, MVNERVM PRAE-  
STANTIA, MERITORVMQVE MAGNITVDINE  
MAXIME CONSPICVIS

*MAECENATIBVS, PATRONIS AC STUDIO-  
RVM SVORVM PROMOTORIBVS MV-  
NIFICENTISSIMIS*

HAS QVALESCVMQVE PROPECTVVM PRIMITIAS

CVM

OMNIGENAE SALVTIS EX DEO  
VOTO

EA, QVA DECET, ANIMI SVEMISSIONE

D. D. D.

*Respondens*

CHRIST. FRID. BOEHME.





§. I.

**T**ertium decimum Caput prioris libri Regum singularem meretur attentionem, lectorique multas ponit remoras, propter nonnulla, quæ notatu non solum sunt digna, verum etiam intellectu difficilia. \*

\* Exstat quidem eruditissima Io. Andr. Schmidii super hunc locum commentatio, quæ facta & fata duorum prophetarum exposuit; at nobis cum spicilegium non contemnendum reliquerit, istud iam exhibebimus.

§. II. Ut ordine possimus procedere, caput totum in tres partes dispescemus, ita ut I) de propheta obsequente. II) Transgressore. III) Puniro videamus.

§. III. I. De propheta obsequente meditandi occasionem nasciscemur ex v. 1 -- 10. in quibus duo deprehendimus obsequii specimina, quorum alterum est, quod sine ulteriori circuitu regem adiret, ipsique voluntatem diuinam aperiret, nil curans, vtrum vitæ ac famæ suæ hoc ipso sit consulturus, an admopitione sua aliquid apud regem effecturus: alterum vero, quod, attentatus a rege ac ad cenam inuitatus, masculè tamen, omnibus cupediis neglectis, redire, vnde venerat, constituerit.

§. IV. De primo obsequii documento v. 1 -- 6. agitur.



Consideremus *α*) obsequentis nomen, *β*) *negotia*, *γ*) *fata*,  
*δ*) *mores reliquos*.

§. V. *α*) Nomen personæ quidem definiri nequit, \*  
 nisi quod officii designatio in textu habeatur, dum **וִיר**  
**אלהים** *vir Dei* propheta salutatus sit. \*\*

\* vid. Raschium ad h. l. Flau. Ioseph. *Antiqq. Iud.* L. 8. c. 8. p.  
 365 ed. Hudson. Budder *hist. eccl. V. T. Period. 2.* p. 352. \*\* *eccl. Auct.*  
*bibl. Halens.* ad h. l.

\*\* *Vir Dei* tantundem valet ac *a) vir a Deo excitatus*, atque ita  
*b) Vir insignis & magnus*. conf. Ven. Rambach. *Instit. herm.* p. 337. sq.  
 & Wollii *diss. de Αὐξήσεσ.* In N. T. libris effertur per *ἀνδρωπων τῶ Θεῷ*  
 1 Tim. 6, 11. 2 Tim 3, 17. vt obseruat Sal. Glassius *Pb. S. L. 3. Tr. 1.*  
 p. 653. ed. Budd. Insignis plane harum locutionum existat explicatio  
 2 Pet. 1, 21. quæ *ὑπο πνευματὶ ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἁ-*  
*γιοὶ Θεοῦ ἀνδρωποι* habet. Ex qua consequitur, *virum Dei* esse Vi-  
 rum a Deo vocatum & missum, a Deo rectum, Deo dicatum, & ad  
 præclara præclare gerenda adhibendum. Ebraice diceres **נְבִיא**  
*declaratorem voluntatis Dei*, **הוֹרֵא** *videntem*, quæ *Deus reuelans mani-*  
*festabat*. &c.

§. VI. *β*) A nomine transimus ad *negotia*, a prophe-  
 ta nostro administrata. *Ieroboamus*, ad eiusque exemplum  
 populus Israel. omnem nauabant in idololatria operam, ita vt  
 non vno solum in loco altaria *Baali* dedicata videres. \* Quæ  
 cum ita fierent, plus simplici quidem vice Deus per viros di-  
 uinos ad officium reuocare eos studuit; at, proh dolor! om-  
 nia erant irrita. Iraque, vt re ipsa Deus ostenderet, se po-  
 puli emendationem serio curare, prophetam misit, qui me-  
 ras minas loqueretur contra altaria pariter, atque istos, qui  
 altaribus operarentur. Ac id ipsum quoque ad amissum prophe-  
 eta adimpleuit v. 2. 3.

\* Occasio *Ieroboamo* suppeditata ad cultum vitulinum institu-  
 endum legitur 1 Reg. 12, 26 sq. Volebat sc. imprudentissimus morta-  
 lium



lium regnum in se deuolutum propriis firmare & consiliis & viribus, hinc religionis præcipue vsu ad priuatam vtilitatem & dominandi libidinem adcommoauit, & elaboratis duobus vitulis aureis, Israelitas a cultu, Hierosolymis Deo præstando, auocauit, veritus, ne subditi, *αλλοφυλῆς* subinde visentes, tandem a se rursus desciscerent. Exstabat insuper in templi, quod Hierosolymis florebat, atrio magno thronus aliquis, cui Rex ex familia David, oriundus infidebat, cum reliqui omnes e contrario stare tenerentur. Quo pacto cum ad eumdem modum standum fuisset decem tribuum Regi, *Ieroboamo*, quod vero, secundum *Gemar. Sanhedr. c. 2. sect. 46.* infra dignitatem ipsius erat, quis non videt ansam hinc sumsisse eum reliquos omnes a templo ordinario auocandi? conf. *Amelii Eroerterung der Schrift: Stollen V. T. T. x. p. 599.* & cit. *ibid. auct.* Neque spernendum, quod *Bochartus hieroz. P. I. p. 355.* ex *Talmude* monet. Honoris sc. erat singularis, quod septimo quoque anno lex Mos. a Rege, toto cœtu præsentem, prælegeretur. Iam, hoc posito, futurum erat omnino, vt *Ieroboamus* ab hac honoris fruitione vel plane excluderetur, vel saltem secundo loco legere iuberetur. Dum autem ipsius fastus rursus longe aliud suadebat, fieri non poterat, quin se suosque hisce sollempnitatibus subduceret, vid. *Iob. Henr. Hottingeri* *diff. de sollempni legis prælectione, quouis septimo anno repetita.*

Non quidem nouam religionem condere volebat, sed istarum tantum colendi Deum rationem reuocare, qua olim patres eorum vsi erant, auctore ipso *Aharone*. conf. *2 Reg. 17, 9.* At etsi verum Deum sub his idolis coli putabat, inane tamen hoc fuit subterfugium, quod nequaquam eos ab idololatriæ crimine liberare poterat. Vid. *Bocharti hieroz. T. I. p. 347. sqq.* Deut. 27, 15. Vitulinæ autem superstitionis originem recte cum *Philone* arcessimus ex Aegypto, vbi vituli & boues in plurimo cultu fuere. conf. *Act. 7, 39. 40. Ez. 23, 8.* vid. *Boch. l. c. 34. p. 345.* Hoc facile quadrat in *Ieroboamum*, qui, fuga salutem quaesiturus, Aegyptum sese receperat, ibidemque idololatriæ methodos addidicerat. *Adi 1 Reg. 11, 40.*

De cetero singularia rex calliditatis suæ specimina edebat, dum a) *Bethelæ* & *Danem*, vrbes quondam celebratissimas, sanctitatis opinione illustres, sedes vitulorum faciebat. Præclare ea de re *Amelii*





*hinc* l. c. T. II. p. 21. Bethel ist von vielen Jahren her ein berühmter und heiliger Ort gewesen, indem Jacob, der Stamm-Vater der Juden, Gott den Herrn zu unterschiedlichen mahl dafelbst gesehen, einen Altar aufgerichtet, und den Ort, als eine Pforte des Himmels, Bethel, ein Haus Gottes mit vielem Nachdruck genennet hat. Dan war ebenfalls ein berühmter Ort, massen das Gößen-Bild Michä dafelbst aufgerichtet, und von den Einwohnern eine geraume Zeit göttlich verehret worden. Bey solchen Umständen ließ sich der Pöbel gar leicht verleiten, zumahlen, da derselbe in denen Gedanken stunde, daß diese beyde Orter gleiche Heiligkeit mit dem Tempel zu Jerusalem hätten. Conf. *Pet. Zornii biblioth. Antiq. Exeg.* T. I. p. 657. *b)* quod sacerdotio praefecerit non eos, qui ex decreto diuino ei praeficiendi erant, sed עַרְוֵי מִצְרַיִם I Reg. 12, 31. c. 13, 33. Sunt quidem interpretum nonnulli, qui hanc phrasin de *vulgo* accipiunt: at quia מִצְרַיִם proprie notat, *finem, extremitatem*, extremitas rei vero eius est complementum atque vniuersitas; hinc pro *vniuersitate rei* vsurpatur. Conf. Gen. 19, 4. c. 47, 2. Ezech. 33, 2. El. 56, 11. *Alb. Schulens in animadu. ad Gen.* 19, 4. & Ven. *Michael. adnotat. ad Ez.* 33, 2. Hinc recte exponitur, quod sacerdotes constituerit *ex omni populo.* vid. *Amel.* l. c. T. 2. p. 750. sqq. Floruerat olim solius Aaronis virga Num. 17, 8. terra eos absorpserat, qui in Mosen & Aaronem insurrexerant c. 16, 31. 32. Quae manifesto erant indicio, Deum solam Aaroniticam familiam, ringentibus licet aliis, sacerdotio destinasse. Hic vero, vt aliorum captaret beneuolentiam, non solum alios quoscumque, siue magnates, siue infima sortis homines, qui modo vel pecunia, vel adulatione ambiebant, in sacerdotum numerum cooptabat, pessimo exemplo, iuxta I Reg. 13, 1. ipse praehens: sed etiam Leuitas omnes plane expulit. Vid. not. ad *bibl. Hal.* I Reg. 12, 31. c. 13, 33. Und dieses that er, inquit *Amelius*, l. c. zu seinen eigenen und der Unterthanen Nutzen, fürgebende, sie dürfften nicht so viele Zehnden oder andere Geschencke den neuen Priestern geben, man könnte auch die Städte und Güter der alten Leviten desto leichter seculariſiren und einziehen. Adde 2 Par. 2, 13. 14. c. 13, 9: 10. Audiamus vero, quibus artibus *Iero-*  
*boamus*



*doamus finem suum obtinere tentauerit in iis quoque, qui forte in contrariam partem agere & Hierosolymitana sacra frequentare tentabant. Optime rem exponit Hieronymus ad Hof. 6. Sacerdotes, inquit, Bethel, immo fanatici Bethaen temporibus pasche & Pentecostes & scenoegia, quando per Sichem, que hodie Neapolis adpellatur, eundem erat Hierosolymam, ubi solum licebat victimas immolare, ponebant in itinere latrones, qui insidiarentur peregrinibus, ut magis vitulos aureos in Dan & Bethaen, quam in Hierosolymis & in Sancto templo adorarent Deum. conf. Hadr. Reland. palest. p. 475*

§. VII. Antequam negotiorum peractorum rationem mittimus, est omnino, quod paullisper in vocum explicatione derineri nos patiamur. Ante omnia sicco pede prætereunda non est illa *altaris gemina adlocutio* v. 2. Mirum est, inquis forte, altare, rem inanimatam compellari; sed vero obseruandum est 1) rerum vita ac ratione destitutarum compellationem pertinere ad idiomata Orientis populorum. Hinc 2) toties totiesque in Sacris rum V. tum N. T. scripturis occurrere Gen. 3, 14. Ef. 1, 2. Ier. 22, 29. Matth. 21, 19. c. 23, 37. 3) nec prorsus a nostro dicendi genere alienum esse hunc dictionis modum. Non raro enim oratores adfectibus turgidi, & inprimis poetæ, cælum terramque atque ipsum Acheronta adloquuntur. 4) sicuti in sacris occurrunt eiusmodi formulæ, nil nisi adfectus diu. indicant; præcipue iræ atque commiserationis testes sunt. Vult Deus hoc ipso Surdos homines in pudorem dare, innuens, quod quasi futurum sit, ut res inanimatæ citius audirent Deum, quam ipsi.

§. VIII. *Super altari illo, inquit vates, sacrificabuntur sacerdotes excelforum, qui suffierunt super eo, immo comburenda etiam dicit in eo ossa hominum.* Ad hæc verba notari meretur, *Raschim* nomen hoc  non sensu generali & vago sumere, sed speciatim de *Ieroboamo*, qui *car*




ⲉⲃⲟⲗⲙⲱ erat אֲרָם, quem vero honoris causa non nominaverit. Vocem hanc, primores ac ipsosmet principes notare posse, non est, quod dubitemus, dum quamplurima, cum primis psalmorum, existant loca, quæ in subsidium possint vocari. Accedit, quod hæc ipsa glossa Raschiana rei ipsi sit convenientissima, ut ex mox dicendis adparebit.

§. IX. Singulare animaduertimus hoc loco talionis diu. specimen. *Rex* extruxerat altare: *Rex* vero etiam sc. *Iosias* a Deo excitabatur, qui illud destrueret. *Rex* peccantem populum *altari* fecerat: *altari* etiam ad comburendum, sec. *Raschium*, committitur. *Sacerdotes idololatriæ* dies noctesque circa altare illud versati erant, ideoque iidem super illo mactandi erant.

§. X. Hæc vero omnia exactissime esse adimpleta, patet ex vita *Iosias* 2 Reg. 23, 16. sqq. Hinc recte *Buddeus* l. c. egregium vocat ac singulare vaticinium, cum & nomen *Iosias* expresserit, qui post 350 demum annos altare illud destructurus, & sacerdotes excelsorum super eo mactaturus erat.

§. XI. γ) Sed quænam, quæso, *hic Vir Dei fara* habuit? Describuntur ea v. 4. Rex nempe, ceu stator atque auctor huius altaris, auditis malis istis nuntiis, tantum non in furorem coniectus, emisit contra prophetam manum, ut exserto digito eum demonstraret, quem capi vellet. Hunc enim non credebat a vero Deo missum, se vere Deum colere putabat, illum ergo, ceu virum blasphemum, in sacra Deosque iniuriam vita priuatum volebat, sed irrito euentu. Ut enim Deus nouum exhiberet tum iræ, tum auxilii testimonium, ecce manus ipsius paralyti correpta est, ita ut retrahere atque ori admouere eam nequiret. Quid? quod,  
maxi-



maximum rei pondus addebatur, dum altare Bethelense dirumperetur in signum poenæ olim futuræ v. 5.

§. XII. δ) Sed progredimur ad reliquos *propheta obsequentis mores*. Rex stupendis prodigiis perterritus, animaduertensque, sibi non cum mero homuncione rem esse, sed cum vero almoque Deo, non amplius fulgura loquebatur, & tonitrua euomebat; verum supplex per prophetam auxiliium quaesuit v. 6. \* illudque impetrauit.

\* Ebræa ita habent: *Et respondit Rex ad virum Dei, exoratio quæso faciem Domini Dei tui, & precare pro me, ut redeat manus mea ad me.* Plura heic monenda occurrunt 1) dicitur: quid sibi vult ויען *respondit*, vbi nihil sermonis antecessit, cui respondendum erit? at a) ענה non semper responsionis notione pollet, sed idem sæpe est, ac *sermonem exordiri*. Cuius rei causa peti debet ab eius etymologia. ענה enim notat ratione formali e regione alicuius esse, ויען ergo gegen oder zu einem sagen. b) responderi potest non solum ad verba *promissa*, verum etiam ad rem modo factam. Itaque respondebatur a Rege non ad antecedentem prophetæ sermonem, sed ad antecedentem rem miraculosam, 2) Obiecerit aliquis, hæc locum habere non posse, quia statim insequatur ויאמר *dixit*. Positis sc. & admissis a me iam dictis, manifestam resutare tautologiam. At omne dubium facile exspirabit, si, esse hunc vtilissimum Ebræorum idiotismum, tenuerimus, ויען cum ויאמר numquam non coniungentium, hoc sensu: *num vero orsus est dicere sequentem in modum*. 3) Superata hac difficultate, nos conuertimus ad הלה *deprecare*. הלה habet notionem *agrotandi*, in piel *infirmum faciendi*; sensus ergo est: *infirmam fac*. Quo ipso ostenditur vis precum & efficacia. Deus est Deus roboris, a nemine vi bellica subigendus; interim tamen si preces effundantur, ita ut rogemus, quæramus & pulsemus, fieri nequit, quin obfirmatum quasi Dei vultum robore suo exuamus. Hinc alicubi *scriptura* ait, preces iusti multum valere, si seræ sunt. Ita *Iacobus* Deum, quocum decertabat, teste *Hofsa*, precibus ac lacrymis vicit. Hinc Deus ad Moysen, de quo prauidebat, ipsum veniam pro populo transgresso-



re petiturum esse, *fac me missum*, quasi detineretur precibus; dicebat. 4) obiectum precum sistitur in vocibus פני יהוה אלהיו. De *Dei facie* dicit Rex: *Infirma eam*. Si sc. aliquis in furorem coniectus alterum adspicit, robusta, turgida ac firma est facies eius, visus est intensissimus atque acutissimus, frons dura; sed si quis precibus fatigatur, remittit faciei robur, oculi blandiuntur, genae in risum effusa emolliuntur. Ceterum *faciem* in Deo incorporeo proprie loquendo non esse quaerendam, nemo non videt. Per *faciem* ergo Dei nihil aliud intelligendum venit, quam Deus ipse. 5) Non intractum dimitendum censuit illud 2da personae in voce אלהיו suffixum *Raschius*; observat enim bene advertendum esse quod non dixerit: *Dei mei*, quia perlitisse Rex *Raschio* videtur in sua rebellionem. Si haec recte se haberent 6) observare possemus, malum impii regis animum etiam ex eo patere, quod non ipse Deo supplex fiat, sed perinde ut *Pharao* Ex. 8, 8. coll. c. 10, 16. 17. & *Simon Magus* Act. 8, 24. alium sollicitet, qui a numine, quod summum proficeretur, auxilium, si quidem praestare id valeret, expeteret. 7) vox והפלה priori הלה adiecta per tautologiae vitium heic existare videtur. At 1) si vel maxime h. l. manifesta tautologia occurreret, quae nullo modo excusari posset, ob eam tamen S. littera non essent contemnendae. Nam referuntur ipsius regis, necessitate circumventi, verba, de quo dicere possemus, quod praee auxilii desiderio rem ynam eandemque bifariam extulerit. 2) Voces tamen differunt ut *caussa* & *effectus*. Per *supplicationem*, quam denotat vox posterior, efficitur, ut *infirmetur* facies Domini, quod priori vocabulo significabatur: Vel per הלה innuitur *simpliciter*, regi Deum propitium esse reddendum, per והפלה autem in *specie* denotatur, se vehementi pristinam sanitatem recuperandi ardere desiderio; hinc supplicibus precibus summum numen esse adeundum, ut in necessitate haerenti succurreret. 3) Fecit propheta, quod volebat rex; petiit, petitum obrinuit suum. Id vero ipsum morum probatissimorum, quibus propheta ornatus erat, specimen suppeditat. Non flectere volebat superos, ut ignem demitterent, quod *Elias* fecit; verum *Mosen* secutus, pro inimicis precabatur, quod imitantur omnes, qui *Christi* sui mansuetudinem addidicerunt. Ut autem Rex intelligeret, Deum esse, qui pro-



prophetam mandatis instructum miserat, statim nouo miraculo manus integritas ipsi restituebatur. *At vero hec satis sint de primo obsequii argumento.*

§. XIII. Pergimus ad *alterum obedientie viri diu. momentum*, de quo v. 7 -- 10 agitur. Vt eo rectius in eo excutiendo versari possimus, videbimus N) *quomodo ad transgressionem sit inuitatus?* 2) *quomodo veri Dei mandata curate obseruauerit?*

§. XIV. N) quod in statum tentationis inductus sit propheta, loquitur v. 7. Magno eum adficere honore studebat Rex sanatus, qui 4 momentis absoluitur. 1) honori erat prophetae, quod cum ipso rege iam copiosius loqui posset. 2) quod in palatium fuerit introducendus. 3) quod cibo eum reficere vellet regio. 4) quod insuper donis exornandus esset, vt in posterum etiam haberet, vnde vitam toleraret.

§. XV. Ipse textus quidem nullum adspergit iudicium de hoc regis proposito; inter ea tamen, si dicendum, quae nobis animo sedeat sententia, nobis non placet istud regis consilium. Namque 1) in laudem eius non cedit, quod non solum ante impetratum caeleste auxilium Dei faciem ipsemet non implorauerit, verum post acceptum etiam beneficium nihil quidquam, Deo gratias acturus, dixerit. 2) quod prophetae, cuius opera intercedente sanatus erat, donum pro restitutione manus dare vellet, quasi res omnis compensari posset donis regis. Parum adest, quin cum *Simone Mago* eum conferam, qui, soluenda pecuniae summa, non sanitatem, sed modum sanos ac miracula reliqua faciendi adquirere cupiebat. 3) huc accedit, quod vates noster, velut *Elisa 2 Reg. 5, 15. 16.* ablata dona respuerit, innuens non esse, quod sibi; esse vero, quod Deo faceret satis. 4) Nostram sententiam confirmat non minus pessima ista, ad quam denuo rediit *Ieroboa-*



*boamus*, vita, cuius mentio v. 3 i sqq. habetur in hoc capite.

§. XVI. 2) Considerabimus, quomodo diu. vates cæleste præceptum obseruauerit curate? Adhibebimus in subsidium v. 8 -- 10. vbi 3 describuntur nobis gradus, qui obseruari possunt in præstita a propheta obedientia; quorum prior absoluitur *detrectando*; posterior *rationem addendo*; postremus *rem propositam fideliter exsequendo*.

§. XVII. *Detrectauit* inuitationem v. 8. vbi verba ita habent: *Et dixit vir Dei ad Regem &c.* Promiserat propheta Rex bona omnino multa, sed ea spernit non solum, verum dicit etiam, quod si futurum sit, vt etiam maiora bona, vel ad dimidium domus regia donare vellet, se tamen cum ipso domum non esse petiturum. Dum autem maiora se accepturum recusat, multo magis minora neglecturum docet, ita vt nihil quidquam esurus sit panis, nihil etiam bibiturus aquæ isto in loco.

§. XVIII. *Rationem vero etiam addit* Vir Dei, ne ex contemtu, adfectatione, aut frustra denegasse videretur Regi accipere, quæ obtulerat. Ea exstat v. 9. *Præceperat sc. Deus i. e. Interdixerat* ipsum potu, panc &c. h. l. capiendis. Præceptum ergo Dei ipsi carius erat, præ millibus auri cum Dauide Pf. 119, 72.

§. XIX. *Rem denique propositam prophetam exsequutum esse fideliter* dubitare nos non sinit v. 10. vbi disertis verbis adferitur, *eum alia via profectum, non vero per viam, qua venerat Bethelem, reuersum esse.*

\* Manifesta h. l. occurrere videtur tautologia. Modo enim dicitur; *iiit per viam aliam: nunc vero & non reuersus est per viam, qua venit Bethelem.* Sed res integra est atque salua. Namque α) in priori membro res *generatim* ac *non plene* exposita est, posteriori autem *perfecte* exhibita, ita vt & *terminus a quo* sit expressus. β) hoc



hoc ipso ostenditur absolutum prophetæ obsequium, quod nec incumbens forte fames, nec vrgens sitis, nec via ignoratio, nec eius diuturnitas, impediuerunt. ¶ Ebræorum mori est adscribendum, quod, quæ positive extulerunt, etiam negative enunciant. Quæ de re præter hunc, quem tractamus, locum notanda sunt *Gen. 42, 2. Ex. 11, 20.* cui add. *Io. 1, 3. 20.* Hunc ebræorum morem imitantur scriptores græci; sic apud *Polybium* sæpe hæc structura reperitur, quæ voces superfluas continere videtur. e. g. p. 290. conf. *Casauboniana* p. 71. *Balth. Stolbergius* in collegio quodam hermeneut. quod nobis ad manus est, inquit: *ἐστὶ μακρολογία, quæ animi statum, perturbationem, rerum ipsarum naturam & genium declarat. Modi eiusmodi loquendi vsu fulti sunt* conf. *PRICAEVS in Act. 13, 11. Gellius L. 13, 23. qui declarat causam huius locutionis. HOMERVS pariter dicit: nouit, & non ignorauit: memor ero, & non obliuiscar. ARISTOT. facile, & non cum labore. DEMOSTH. salua nauis est, & non perii.*

§. XX. Progredimur iam ad *Partem* cap. *Ildam*, quæ de Propheta transgressore agit v. 11 - 19. Contuebimur autem 1) *Prophetam ad transgressionem pellectum.* 2) *disputantem contra deceptorem.* 3) *prophetam transgredientem.* I. In propheta ad transgressionem pellecto considerabimus a) *occasionem,* b) *pellectorem,* c) *pellectionem.*

§. XXI. a) *Occasio* continetur v. 11. Filii sc. prophetæ cuiusdam senis casu, nescio quo, eodem tempore adfuerant præsentem, cum hæc omnia, quæ supra descripsimus, euenirent. Inter reliqua vero etiam ista obseruarant, quæ vir Dei Regi inuitanti responderat. Dum autem hæc patri suo seni priuatim exponerent, ceu noua & in expectata, ille, his perceptis, ea animo concepit, quæ mox pluribus exponemus. \*

\* Iam facile erit conciliare sacri scriptoris narrationem. Sub initium nempe dicit, *filium prophetæ* retulisse gesta patri, deinceps vero addit, *enarrauerunt patri suo* sc. filii reliqui. conf. *Glassius Philol. p. 1217. obs. 7.* vbi notat nonnullas ellipses ex voce analogæ



esse eruendas & supplendas. Videtur filius natu maximus, aut vnus ex illis, rem *cominus* introspexisse, reliqui autem omnia *eminus* obseruasse. Cum Domum petiissent, vnus ille, qui curata noticia gestorum imbutus erat, exorsus est sermonem, patrique mira quantā exposuit. Quia autem pater fere in admirationem stuporemque ac subdubitationem incidere videbatur, ad vnum omnes ita rem esse affirmabant. *Lutberus* vltima hæc omisit, quæ cum superioribus committi ipsi visa sunt, sensu tamen integro.

§. XXII. b) *Pellectorem* quod attinet, *nominis* quidem eius examini nunc non vacabimus, dum incerta heic sunt omnia. vid. Ven. *Buddeus* l. c. Potius notemus eum describi α) ab officio, β) ætate, γ) loco habitationis, δ) studio ad pellicendum composito.

§. XXIII. α) Quoad officium dicitur propheta. \* *Ionathan*, *Arabs* & *Raschi* addunt falsus. Quæ glossa fundamento non caret. *Saris clarum*, inquit *Schmidius*, esse videtur, eum factum esse idololatriam & impium, vel saltem hypocritam, & dono prophetico priuarum, quantumcumque illud antea fuerit. Plura vide apud *Buddeum* l. c. p. 353. sq.

\* De propria huius vocis significatione, etymologia & acceptione varia vid. *Wutsi Miscell.* S. p. 2. seqq. *Vuringa Typus Doctr. proph.* statim ab initio. & *I. B. Carpzou. de prophetis in genere.* Ceterum  $\text{עֲרֵב}$  more loquendi apud *Ebræos* recepto idem est ac aliquis.

§. XXIV. β) *Ætatem* si spectes, *senex* erat. Eo magis autem est mirandum, ætatis prouectæ virum eo processisse clementiæ, inprimis eum, qui antea diuinis reuelationibus fructus erat, vt prophetam Dei verum deceptum, ac in suum consortium pertractum iuerit.

§. XXV. γ) *Locus habitationis* erat *Berbel*, aut, si *Buddeum* sequimur, prope *Berbelem*, quo venerat ex *Samaría* 2 Reg.



Reg. 23, 18. commodum suum ibi aucupaturus, regiamque captaturus benevolentiam.

§. XXVI. *Studio pellectoris* considerando præmittimus quæstionem: *quid vir Dei commiserit aduersus senem prophetam, quod tam serio laborauerit in ipso decipiendo?* Cum certi quid in S. S. non sit definitum, ægerrime nos etiam aliquid certi statuemus, coniecturis potius locum relinquentes. Statuimus itaque 1) senem idololatriæ crimine prorsus fuisse infectum ac omnino delectatum. 2) non postremam rationem fuisse vigorem summum idololatriæ, quare, relicta Samaria, Bethelem concesserit. 3) istum senem pro Dei propheta olim habitum, & tunc quoque propheta titulo non dicam tantum salutatum ab idololatriis, sed etiam eadem reuerentia susceptum, quod & cultum idololatricum adprobaret, & beatum prædicaret, ac ipse sequeretur. 4) cum igitur inaudiuisset, aduenisse nunc veri Dei prophetam, qui altari interitum, & eius sacerdotibus cultoribusque reliquis violentam mortem minatus sit: re perterritus ac ira commotus esse videtur, quam vero astu occultauit. 5) Hinc sibi proposuit prophetam reducere, vt hoc modo vindictam quasi ab eo sumeret, probe tenens, Deum istius inobedientiam grauissima pena adfecturum; quod ipsum forte pseudo propheta deinde suæ viruti, aut vitulorum a se cultorum potentia attribuisset. *Flavius Joseph. Antiq. Iud. L. VIII. c. 9. p. 366.* ferme ad nostram accedit sententiam, *Veritus, inquit, ne Rex de hospite melius, quam de se opinaretur, mandauit filiis &c. Seb. Schmidium ad b. l. & b. Buddeum H. E. V. T. T. II. Period. 2. p. 355.* dissentire a me, noui; at Breuitatis, quas mihi met ego præscripsi, leges nunc non permittunt, eorum sententias examinare: sufficit in præsentia, quod mihi meæ sententiæ abunde suppetat ratio.

§. XXVII.



§. XXVII. His ita dictis, δ) ad ipsum *pelliciendi studium* nos conuertimus. Simul ac perceperat senex, quae gesta erant, ex filiis sciscitabatur, *quæ nam sit via, qua iuerit vir diuinus? & certior quoque eius rei factus est deinceps.*  
 v. 12. \*

\* Voces ebraicæ huc pertinentes varie a variis exponuntur. Nos cum quibusdam includimus easdem parenthesi vsque ad Sillucum. h. m. (*viderant autem filii eius viam, qua iuerat vir Dei, qui venerat ex Iuda*) q. d. ne mireris, lector, quæfuisse patrem ex iis, quonam profectus esset propheta ex Iuda; nam viderant viam, qua iuerat. Et sic omnia bene coherent, ipsaque adsunt parentheses eos requisita. Incipitur nimirum accentu minori, maiorique desinitur. Subintelligitur tantum, filios, quam notauerant viam, patri ostendisse.

§. XXVIII. Cognita, qua eundum erat, via, præcepit propheta filiis suis, vt asinum sibi sternerent; \* quo facto, virum, vti intenderat, est insecutus.

\* Senex cum pedibus alterum adsequi non posset, *asino* vsus est, qui *ab orientalibus inter opes referebatur* Genes. 12, 16. c. 24, 35. Num. 31, 34. Iob. 1, 3. c. 42, 12. 1 Par. 27, 13. & *inter Iudeos, vt Douglæus Anal. P. 1. Excuss. 70. p. 120. & Bochart. Hieroz. T. I. c. 13. adnotant, ab honoratioribus adhibebatur.* I. B. Carpzon. in diss. *de Asino Messie Christi in urbem Hierosolyman vectore*, ait: *Priscis quidem illis iudicum temporibus non distemur, summa dignationis viros asinis insedissee* Gen. 22, 3. Iud. 5, 10. c. 10, 4. c. 12, 14. vt & *Dauidis tempore* 2 Sam. 16, 2. *at postquam imperium gloriose vniuit Salomonis maiestate, equos etiam ad regium splendorem & terrorem hostium multiplicantis* 1 Reg. 4, 26. *vix amplius regem asinus decebat. Inter ea tamen non contemptum pariebat insidenti asino.*

§. XXIX. Quem persecutus erat inuenit sedentem sub quercu. \* Quoniam verò eum de facie non nouerat, quærebat ex ipso, num sit ille vir Dei, qui venisset ex Iuda? \*\* statim autem ille, se desideratum esse, adfirmabat.

\* *Schmidius* quidem hoc initium peccati eius fuisse putat, quod



quod moras neceſeret; ac cauſa potius moræ fuiſſe videtur, inedia, ſiſ & laſſitudo, quibus adſiſgebatur.

*\*\* Hypocritice, inquit idem ille Schmidius, ſe in illius familiaritatem inſinuaturus, quaſi valde probaret ipſius prophetiam, & cui ſemper diſplicuiſſet Ieroboami impietas.*

§. XXX. c) De *Pellectione* ipſa v. 15 dicitur, ſenem inuitaſſe vatem, vt cibum, dōmo ſecum petita, caperet. Quæ verba dum per ſe clara ſunt, ſuperflua luce non obſcurabimus.

§. XXXI. Potius 2) pergitur ad *prophetam contra pellectorem diſpurantem*. Renuit nempe Vir diu. cum ipſo redire, addita ſimul ab interdīcto Dei deſumpta ratione \*, quæ obſtaret, quo minus petito facere ſatis poſſet.

*\* Verbum, ait, ad me eſt ſc. factum, vtc. 6, 11 c. 12, 22. cum verbo ſ. per verbum Iehouæ. ☐ præfixum h. l. optime exponitur ſub, ita: verbum ad me factum eſt SVB verbo Iehouæ i. e. quod mihi reuerendum eſt vt verbum Dei. conf. 1 Theſſ. 2, 13.*

§. XXXII. Iam deuoluimur 3) ad *transgreſſionis* ipſius conſiderationem. Occurrent a) *argumentum*, quo inductus fuit b) *transgreſſionis actus*.

§. XXXIII. a) De *argumento* agitur v. 18. deſumptum illud eſt a quadam, quam iactabat, reuelatione de reducendo in ſuam domum propheta, eumque cibo potuue reficiendo; \* ſed notanter additur, *mentitum profanum eſſe hominem*.

\* Peſſimus homo, pro ſua, qua pollebat, aſtutia, bene intellexerat, omne impedimentum in eo poſitum eſſe, quod Deus illum reditu interdixiſſet; hinc eo laborabat, vt iſtud ex animo illius e-vellet. Rem ergo ita proponebat, quaſi Deus ad tempus ſolum propheta obedientiam tentare voluiſſet, iam autem, ea explorata, ad ſe factam eſſe nouam reuelationem de ipſo reducendo. Hæc omnia quidem eo comparata erant, vt propheta Dei in errorem induci poſſet, interim tamen habbat, cur de eorum veritate dubitaret.

§. XXXIV. b) *Tristiſſimus transgreſſionis actus de-*  
C ſcri-



scribitur v. 19. Vetuerat summum numen, ne viam, qua semel incesserat, repeteret; sed iam repetebat. Noluerat Deus prophetam cibo reficere; at, vt textus ait, comedeat nunc panem. Prohibuerat ipsum aquæ potu heic capiendo; sed bibebat infelix homo aquam.

§. XXXV. Sic demum properamus ad P. III. huius capituli, quæ agit de PROPHETA PVNITO. Attendemus α) ad *pœnæ denuntiationem* β) *illationem* γ) *consequentia*.

§. XXXVI. Si contuemur α) *pœnæ denuntiationem*, occurrunt 1) *tempus*. 2) *denuntiantes*. 3) *ratio denuntiationis*. 4) *pœna ipso denuntiata*.

§. XXXVII. 1) *Tempus* erat, cum mensæ adsiderent hilarique essent animo, cibum potumque capientes. Ita Deus sæpius in peccatores animaduertit *Dan. 5, 1 sqq. Luc. 17, 27* coll. *Gen. 7, 7*.

§. XXXVIII. 2) *Denuntiantes* exponuntur v. 20. ubi occurrit N) *principalis* ב) *instrumentalis*. N) *principalis* est Iehoua, in quem propheta peccauerat. Illius intererat, vt scirent alii, se futuros casus ideo in prophetam immittere, quia mandatis suis aurem non præbuerat. Nisi enim hæc prænuntiata essent, is illeue forsan omnia cecofato tribuissent. ב) *Instrumentalis* vocatur אֲשֶׁר הִכְבִּירָה הַשִּׁיבֹּהוּ. Tremellius reddidit: *ad prophetam illum Dei, quem falsus reducerat*. Ita quoque *Arabs*. At enim vero quia verus propheta huc vsque אֵישׁ אֱלֹהִים salutatus est; falsus autem הִכְבִּירָה; rectius putamus alios transtulisse ad prophetam falsum v. 18. 19. Hanc mentem amplexus quoque est magnus noster *Lutherus*, &, qui ipsum sequitur, *Seb. Schmidius*: obiici quidem posset, quod supra falsissimus, prophetem diu. adloquio olim quidem esse gaurisum, nunc vero priuatum. Sed notandum 1) h. l. casum fuisse



fuisse plane extraordinarium. 2) alia super esse exempla, quibus probatur, Deum impiis quandoque usum fuisse ad vaticinandum. Ita Deus locutus est per *Bileamum*, nequitiae deditissimum. 3) nec deesse rationes, quare Deus praecipue huius ministerio usus sit in hoc negotio. Hac namque ratione *a*) vel ipsimet deceptorum insinuabat sui sceleris gravitatem, adeoque poenae imminentis exsuperantiam. Si enim deceptus, subsumere poterat, tanta poena adficeretur, quanta manebit deceptorem! *β*) hoc ipso confirmabatur de veritate omnium, quae haecenus per virum Dei pronuntiata erant. *γ*) non minus ad seriam ipse inuitabatur obedientiam, quam etiam procul dubio egit. Hinc rectissime *Schmidius* p. 83 ad h. l. *Mirum, inquit, Dei iudicium, uterque peccati sui conuincitur, ut anima seruetur.* *δ*) hoc ipso quoque grauius plectebatur in errorem inductus: *Nil enim, inquit Io. Clericus ad h. l. maiorem creat dolo-rem, quam ubi illi ipsi, qui nos deceperant, stultam credulitatem nobis exprobrant.*

§. XXXIX. 3) *Rationem denuntiationis* si spectes, continetur ea v. 21. 22. sistitur in iis gravitas delicti, quae in eo consistit, quod mandato diu. se immorigerum praestiterit. Inobedientia ista describitur *generatim & speciatim*. *Generatim* v. 22. *propterea sc. quod rebellasti ori \* domini, & non custodivisti praecipuum, quod praecipit tibi dominus Deus tuus.* *Speciatim* v. 21. enumerantur illa momenta transgressionis, quam commiserat vates diu. \*\*

\* מַרְבֵּי notat 1) os. 2) id quod ore proferimus l. sermonem. 3) mandatum siue id sit negativum, ut h. l. siue positivum. Mandatum vero significat, quia, id elocutori, os nimium quantum, dum serio loquimur, aperimus. Quomodo vero ori Dei fuerit inobediens docetur verbis seqq. *Quia non observasti custodis instar illud praecipuum, quod praecipit tibi Deus.* Studiosissimus est in violato mandato d. scribendo scriptor S. Subodoratur forsitan audaculus quidam criticus in neminem



quamdam tautologiam; at vero rei nouitas requirit, vt illud sollicitate inculcetur, cuius caussa poenam inmissurus erat summus Deus.

\*\* Singula momenta v. 21, 22. commemorata per copulatiuum sunt connexa. Ita enim dicitur: quia rebellasti, et non custodisti, et reuersus es, et comedisti panem, et bibisti aquam &c. Hoc ipso series malorum a propheta patratorem percensetur. Sic etenim fieri adsolet, vt is, qui peccato semel ianuam aperuit, innumeris plane stipetur vitiis, ac multorum vno statim tempore se faciat reum. Dato nimirum vno absurdo, sequuntur plura. Simile exemplumprehendimus in *Esau*, primogenituram vitipendentis, historia *Gen. 25, 34*. hic enim et comedit, et bibit, et surrexit, et abiit, et adeo spreuit primogenituram.

§. XL. 4) *Pena ipsa denuntiata* exstat posteriori v. 22. membro: *non veniet cadaver tuum ad sepulcrum patrum tuorum*. Minatur ergo Deus prophetae mortem violentam, qua priusquam in patriam reuersurus sit, esset adficiendus.\*

\* Poena igitur negatiue proposita positiuum, mortem sc. violentam inuoluit. Honori sibi ducebant, & profingulari habebant beneficio Iudaei in sepulcro patrum iacere post obitum. Ideo *Iacobus* atque *Iosephus*, adiuratis ea de causa aliis, mortem lubentianimo oppetierunt. Ideo quoque toties totiesque de Regibus aliisque gentis Iud. hominibus sacrae dicunt litterae, eos ad patres suos esse collectos. Quid ergo mirum, dedecori fuisse & poenae loco peccata secuta ibidem non sepeliri?

§. XLI. Doluisse, ingemuisse, poenituisse, puduisse, timuisse ac similia fata, ni maiora, sibi instare arbitratum esse prophetam mendacem, quis dubitat? At parcebat Deus ipsius corpori, quia non tantum lucis diuinae ac cognitionis huc vsque habuerat, quantum verus propheta. maiores ergo poenae eum manent, qui maiori cognitione est instructus, male vero a se habita.

§. XLII. β) Pergimus ad *penam iustissimam illationem*. Velitum postquam cibum potumque sumserat, timoris plenus



plenus deceptor noluit sine dubio ulterius in ædibus esse eum, in quem Deus se animaduersurum dixerat, ne vel cum ipso consumeretur, vel saltim pœnæ executione conturbaretur. \* Itaque statim instrauit pro propheta diuino asinum \*\* eumque ita dimisit.

\* Non tamen valde repugnabimus, si quis dixerit, vatem illum noluisse amplius in communione idololatrarum, a qua Deus eum interdicto arcere tentauerat, commorari. Ceterum  $\pi\sigma\iota\eta$  ad asino infellurum deceptum prophetam est referendum, h. m. *instrauit ei asinum* senex sc. *propheta*, quem reduxerat.

\*\* Asinus ebæis dicitur,  $\text{דִּוְסוֹן}$ , non a turbido cerebro, quia *chamar turbidum* esse sonet, nec a *chomer mensura* quadam, quam volunt esse asini onus, cum vel olei vel frumenti sit chomer pene camelinus; sed a colore ruffo, Ar. enim *chamara* &  $\text{דִּוְסוֹן}$  rubere est Pl. 75, 8. vid. *Bochart. hieroz. T. I. p. 181. seqq.*

§ XLIII. Vix se se in viam dederat, propheta, tum ecce deprehendit eum leo aliquis, \* a Deo excitatus, \*\* qui eum correptum trucidauit. Non tamen a leone consumtus, sed vt res omnium oculis pateret, sine partium comminatione, Deo sic volente, relictus est. \*\*\* Itaque ergo, quod Deus prædixerat, proiiciebatur propheta: cædauit in terram.

\* Varia habentur leonum in sacris nomina, quæ pluribus descripta vide ap. *Bochart. in hieroz. T. I. L. 3. c. 1. p. 711. h. l.* adhibetur vox  $\text{אֲרִיָּה}$ , quæ speciei totius, sine vilo ad ætatem respectu, nomen præbet. Vnde deducendum sit, certant grammatici. Quidam ab  $\text{אָרֶךְ}$  *carpere disperere* deducunt; at quia radix ista de *prouentu torree* solum adhibetur (conf Pl 80, 13. Cant. 5, 1.) *Bochartus* manuit ab  $\text{אָרֶךְ}$  deriuare, vnde *raïl. raieb*, & per metathesin *ari* & *arjeb*. Adeundem modum Arabibus solita est vox *mubfir*, quæ *leonem videntem* significat, & apud græcos existit vocabulum  $\lambda\epsilon\omega\nu$ , quod a  $\lambda\omega\omega$  *video* originem suam trahit. Ex his factis adparet, veteres in nomine leoni tribuendo vnanimi fere consensione ad visum acutum respexisse. Et leo sane, sicut *Manetho* obseruat, est animal visus acerr-



cerrimi, vnde tam lucidos habet oculos, vt aliorum animalium visum fulgore suo perstringat.

\* Qui creaturas elaborauit, eas etiam flectere potest, licet modus nos fortasse lateat. Ita animantia diuina virtute impedita esse videntur, quo minus *Caino* nocere potuerint. Ita ad *Adamum* & *Noachum* compulsa sunt, ad hunc, vt viua conferuarentur, ad illum, vt nominibus insignirentur.

\*\*\* Hoc fuisse magnum miraculum R. *Leui* merito adserit. Nam 1) & præter naturam leonis id fuit, quod cadauer non attingerit, neque asinum inuaserit, neque viatores illac iter habentes; atque abstinerit a præda tam obuia & parabili Dan 6, 24. Es 38, 13. & 2) præter asini naturam, quod, leone viso, territus non sit, neque fuga sibi prospexerit. Quin immo 3) leo cadaueri non modo pepercit, & iumento, sed & illa seruauit tamquam custos adpositus, vt miraculum esset illustrius, ne crederetur id casu accidisse. Voluit quoque Deus ita honorare vt prophetam, quem punierat vt transgressorem. conf. *Bacharti hieroz.* P. 1. p. 207.

§. XLIV. De salute huius prophetæ, quoad corpus castigati, non est, quod dubitemus. Egit enim absque dubio, propter legis diu. transgressionem, seriam, licet seram, pœnitentiam, quod eo facilius nobis persuaderi patimur, quia fata sibi imminencia certo præsciuit. \*

\* Hinc etiam, sunt verba *Seb. Schmidii*, *Iosias sepulcrum eius in honore habuit, tamquam viri sancti. Deus autem vindicauit verbi sui veritatem.*

§. LXV. γ) Lustrentur iam, quæ recensentur, consequentia. Qui transibant viatores, obstupescati atque irretorto, quod aiunt, oculo contemplabantur, quæ & euenierant iam, & adhuc eueniebant. Rem miraculosam autem intra præcordia continere nequientes, urbem *Bethel* adibant, cuius obuiu eam exponentes. Hinc factum, vt subitus rumor etiam ad deceptoris aures deferretur, qui Dei, in prædictis seruatis, veritate celebrata, stratum descendit asinum, locumque, vbi res contigerat, petiit. \*

Dum



Dum vero ita esse rem, vti relata erat, intellexerat, prophetam, asino impositum, ad aedes suas deportavit, \*\* deportatum planxit, \*\*\* & suo ipsius monumento sepeliuit. \*

\* In nonnullis aliter putabat senex euenisse rem, atque euenerat. Leonem enim prophetam praerabie comminuisse opinabatur, quod vero Dei voluntati scopoque non conueniebat, qui erat, vtiliorum, peccatis obrutorum, animi percellerentur; hic autem tam prompte obtineri non poterat, nisi ossa intacta a leone relinquerentur.

\*\* v. 29. dicitur: & *venit* sc. propheta senex ad urbem prophetae senis i. e. suam ipsius urbem. Ita dicitur per idiotismum apud Ebraeos receptissimum, quo loco pronomini possessiui nomen substantantium, vel proprium ponitur. conf. c. 8, r. Gen. 1, 27. Gen. 4, 23. Istud requirunt h. l. accentus, & sic etiam reddiderunt versiones orientales omnes.

\*\*\* Planxit non solum *senex*, sed etiam *filius eius* v. 30. Senex vero planctum instituens inprimis dicebat: *ווי אבתי* *hoi Aebi*, quae erat solempnis luctus grauis eiusque publici formula, vti videre est ex *Ier. 22, 18*. inprimis ab iis adhibita, quibus fata aliorum maxime lamentabilia erant. Pro poena igitur habebatur, *Ioiakimum, Ierem. 32, 18*. absque omni luctu, & ingeminanda eiusmodi formula sepeliendum esse. Vocat autem defunctum *FIN fratrem*, quia, etsi non eodem praecceptore vsus, tamen coetaneus, immo eiusdem originis f. gentis Israeliticae, cum vero propheta erat. conf. 2. par. 28, II. Act. 13, 26. vide, illustrationis ergo, c. 20, 35. 2 Reg. 2, 3. vbi *filiorum prophetarum* mentio iniicitur. De cetero consuli meretur *Mart. Geier. de luctu ebr. Seb. Schmid.* ad h. l. addidit: *hoc luctu non potuit non seipsum accusare, quod in causa mortis eius fuisset.* Parallelum exemplum exstat 2 *Sam. 11, 26.* vbi *Bathsaba* *Vria* mariti obitum doler, ob suae culpae inprimis conscientiam.

\* Moris erat apud Ebraeorum gentem, vt quilibet fere, qui paullo ditior & honoratior videri volebat, suum ipsius sepulcrum, in quo & ipse, & sui reponerentur, haberet. Eiusmodi sepulcra erant ordinarie vel in fundo, quem aliquis tenebat, vel in publico aliquo loco, praecipue in petra, eaque non modici sumtus & artificii. Audiantur pluribus *Io. Mich. Dillberg. diss. Acad. T. 1. p. 458.* *Botting. de Cippis ebraeorum. Quaestio de sepultura veterum, & Io.*

*Lipsios*



*Eigtfoot hor. ebr. p. 776. 43. sq. 76.* Ebræorum natio ingentem adhibuit curam eos sepeliendi, qui aut suum ipsius monumentum non habebant, aut aliis de caussis ei mandari requibant. Hinc negotia sua mittere iuebantur Iudæi, ut funus aliquod curare prius possent. Vid. *Geier. de luctu Ebr. p. 119. Eusebius L. I. selest. p. 212. sqq. Hoffmann. diss. de singulari sepeliendi apud Ebræos cura, & Castelm. diss. קבורה חמור von Esels Begräbniss. In Sanhedrin c. 6. Halac. §. dicitur: quicumque mortuum pernoctare facit insepultum, violat præceptum prohibitivum: Add. Deut. 21, 23.* Existimabant nimirum ebræi, inquit *Casp. Frid. Arnoldi* in *diss. de sepulcris ebræorum §. 2.* hoc pietatis genus negligentes ipsum Deum aliqua iniuria adficere. Familiaris erat alias ebræis consuetudo, eos, qui morte naturali diem supremum non obierant, in separatis sepulcretis sepeliendi, semotos a patrum suorum sepulcris. Consul. laudata *Arnoldi* *diss. §. 13. sq.* At enim vero illa heic non valebat, siquidem lex ea de re lata de iis tantum loquitur, quibus a magistratu civili supplicium irrogatum est. Sic enim se habet textus *Sanhedrin c. 6. halac. §. Humatio INTERFECIT A SYNEDRIO non fuit in sepulcro patrum eius; sed duo sepulcra erant a synedrio, vnum occisi gladio & strangularis, alterum lapidatis & combustis. vid. Bux. Lex. Talm. p. 1962.* Nihil ergo obstabat, quo minus vates diu. extraordinario modo a Deo abreptus, honestiori ratione a propheta humari posset.

Ex collatione illustris complementi cum hac, quam hæcenus tractauimus, historia, nempe ex *2 Reg. 23, 16. 17.* condiscimus 1) sepultum fuisse prophetam *כורר* in monte, iuxta temporum antiquorum scilicet consuetudinem; sic *Moses Deut. 32, 49. 50* in monte *Nebo*, *Aaron*, in monte *Hur*, *Iosua* in monte *Ephraim* sepulcrum inuenerat. Qua de consuetudine ita *Isidorus L. 15, 2.* loquitur: *apud maiores potentes aut in montibus, aut sub montibus sepeliebantur. Inde factum est, ut postea super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes columnæ collocarentur.* conf. *Amelii Erörterung V. T. T. 1. p. 831. 2)* existisse simul super sepulcro isto prophæico quoddam *פיר*, de quo iam pluribus agemus. Ipsa vox, monente *Buxtorffo l. c. p. 1898.* descendit a *פיר* l. *פיר*, quod apud Rabbinos *signare, designare, notare* significat, vti multis ibi adductis locis com-

pro-



probatum dedit *Vir celeb.* פַּי ל. נָוִיָּע ergo nihil aliud notat, quam *signum, signaturam, designationem, notam, monumentum sepulchrale.* Ebrais generatim *signum* aliquod significat l. c. *Ier.* 31, 21. occurrit de *signo viarum*, inprimis vero iis vox apta nata est ad denotandum *monumentum sepulchrale*: quæ significatio huic quoque loco optime conuenit. In sacris, quod reliquum est, tribus tantum vicibus reperitur, heic nimirum, & loco ex *Ierem.* citato, atque *Ezech.* 39, 15. Quis hoc monumentum prophetæ condiderit, vix liquido patet. Interim tamen a veritate non multum aberrabimus, dicentes, pseudopphetam eius statorem fuisse atque auctorem. Sed age! inuestigemus monumentorum sepulchralium rationem & modum. Nihil iam dicemus de *profundis & piis* Iudæorum sepulcris; nihil quoque de origine eorum, ab immunditie, quæ ex contrectatione contrahi poterat, repetenda; quippe quæ huius loci iam non sunt, & hauriri possunt ex *Buxtorffii Lex. Talm.* voc. cit. Commemorabimus potius moris fuisse illustribus personis, quales Regum, doctorum & propherarum sunt, sepulera, erectis super eis monumentis, vt ipsorum memoria conseruaretur, exornare. Vestigia eius rei deprehendimus non solum in hoc, quem præ manibus habemus, textu, verum etiam *Genes.* 35, 20. (ad quem locum conf. *Schickard.* in *Iure Regio Ebr.* p. 436 *Buxt. Lex. Talm.* f. 971.) *Addamne* 2 *Sam.* 18, 17. vbi de necato *Absolomo* dicitur: *accipientes Absolomum proiecerunt in flumem, in vastam quamdam voraginem, & EREXERVNT SUPER EO CVMPLVM VALDE MAGNVM?* Equidem *Iq. Dongtaus, Anal.* P. I. ad h. l. ait: *Eiusmodi congeries non in ignominiam, sed in honorem cedebat. Pausan.* in *Arcad.* infra oppidum per intervalla sunt congestis lapidibus tumuli, quos in honorem perentorum in prælio hominum sacros adparet. Hoc inprimis regia *Absolomi* dignitas ostendit. At adlatæ a *Dongtao* rationes rem nondum faciunt. Monumentum enim illud non a *Daide*, aut fautoribus *Absolomi* erectum est, sed ab *Isabo* eiusque militibus, qui longe aliter adfecti contra nequissimum parricidam, flagitiosissimam eius impietatem, erecto tumulo, non cohonestare, sed potius vt execrabilem omnibus sæculis damnare voluerunt. Nec defunt parallela ignominie monumenta in *Achane* *Ios.* 7, 26. Rege *Aieni* *Ios.* 8, 29. item c. 10, 27. vid. ven. *Mich.* adnotata ad 2. *Reg.*



18. 17. Eiusmodi monumenta sepulcralia vocantur a Rabbiniſ  
 אִנְשֵׁי אַנְיָמָה *anime*, quod vitam atque animam memoriæ eorum con-  
 ſeruarent. Obtinuit ea conſuetudo Meſſiæ quoque & ſequioribus  
 temporibus, vt inſignium virorum ſepulcra monumentis cuiusmodi  
 condecorarentur, ita tamen, vt ei ingens ſimul abuſus adhæreret.  
 vid. *Matth. 23, 29.* Quid! quod, manauit etiam hic mos ad ex-  
 teros. *Raphelius enim adnotat. philol. ad N. T. ex Xenophonte  
 colleclarum ad Matth. 23, 29. p. 49.* duobus exemplis comprobat,  
*pietatis quoddam officium erga bene meritos, aut immerita morte ſub-  
 latos, habitam fuiſſe monumentorum exornationem.* Ad eundem  
 proſus modum ſepulcrum noſtri prophetæ diu. conſilio abrepti  
 monumento aliquo inſignitum eſt. Id vero vix factum absque in-  
 ſigni Dei providentia. Hinc *Schmidius ad h. l. Mirum eſt, qua ra-  
 tione vigilet Deus ſuper veritate verbi ſui. Hinc factum, vt per tria  
 ſecula iradiitio retinuerit memoriam rei per prophetam ex Iuda geſta.*

§. XLVI. Attentionem meretur, quod is, qui hunc  
 in errorem induxerat, propheta, exſequiſ peractis, filiis  
 ſuis iniunxerit, vt ſe, poſtquam naturæ debitum reddi-  
 diſſet, in eodem ſepulcro reconditum, ad latus veri illius  
 vatis adiungerent. \*

\* Maxime honorificum dum exiſtimabatur ad ſepulcrum pro-  
 phetæ colligi, non mirum, hunc ſimilem in modum deſideraſſe, ſibi  
 vt hic honos obringeret. Quos plerumque viuos ſpernebant & con-  
 temtiſſimos iudicabant, mortuos tamen ſummo in pretio habebant,  
 quotidie videntes, ea implemento non deſtitui, qua, Deo ſic vo-  
 lente, propoſuerant. Deſiderium iſtud ad latus prophetæ necato ad-  
 ſociatus ſit; quo factum, vt & ipſius oſſibus parceretur, dum reli-  
 qua mortuorum oſſa igne a *Ioſia* Reformatore comburi iuebantur  
 2 *Reg. 23, 18.* Volebat autem hic fidem ſuam teſtari. vid. v. 32. vbi  
 dicitur: *quia certo certius ſit hoc verbum, quod proclamatum eſt  
 ſanquam verbum Dei aduerſus altare Bethelense &c.*

Hinc nullum plane eſt dubium, ad meliorem hunc ſenem re-  
 diſſe mentem, idololatriæ valedixiſſe, verumque Deum debita ra-  
 tione



atione in posterum reueritum esse. Consentit nobiscum *Seb. Schmid.* qui, *hinc putamus*, ait, *recte colligi, quod senex ille hypocrita penitentiam egerit seriam.* *Miranda*, pergit, *itaque est Dei providentia, qua hunc ex viriusque propheta peccato bonum elicit finem.*

§. XLIX. Posset nunc aliquis de grauitate supplicii prophetae irrogati conueneri, ac Deum iniustitiae inculcare, ideo in eo adhuc occupabimur, vt ostendamus, *prophetam merito esse punitum, & legis huius transgressionem tanti quoque fuisse, vt ipsam mortem subire necessum fuerit.*

§. XLIX. Apologiam pro iustitia Dei tum demum dederimus, si rationes sat graues adlatae fuerint, quibus inductus Deus prophetam peccatorem puniuerit. Rationem ergo 1) petimus a *transgressionem legis diu. clarissime promulgatae*, cui tamen sine exceptione obtemperandum erat. Quo in loco inobedientia apud Deum habebatur, videre est ex 1 Sam. 15, 22. 23.

§. L. Accedebat 2) quod nomine Dei mittentis poenas non solum, a summo numine profecturas, iis; qui praecipis diuinis morem huc vsque non gesserant, praenuntiauerat; verum etiam, vt vel sic hominum mores emendarentur, exstantissima, Deo dante, miracula edidisset. Erat vir stuporis atque admirationis; Ipsum ergo oportebat exactissima praestare exemplum obedientiae. Quod cum non faceret, ac adeo gloriosum Dei nomen, negatis quali veritatis & iustitiae attributis, obscuraret, quis miraretur cum eminenter quoque puniri?

§. LI. Nee negligendum 3) Deum summum saepe rigorem in notandis suorum seruorum nauis exercuisse. *Terrere voluit*, inquit *Bochart. hieroz. T. I. p. 207. Deus idololatrias & a prauo cultu auocare, sic edoclos, quam se timendum, incidere in manus Dei viuentis, quem par erat, poenas tanto grauioribus ab ipsis repetere, quanto grauius peccabant.*

§. LII. 4) Tanto ministro plane indignum erat, in loco, idololatriae dicato, in communione malorum, malitiam suam dediscere nolentium, commorari. conf. 1 Cor. 5, 11. *Mibi maxime placet*, ait, *Schmidius, quod 1 Sam. 15, 25. 199. habemus, vbi Samuel a Saule abire valuit nec cum eo comedere. Id vero ipse Saul ita accepit, quod ipsum*



omni honore indignum iudicaret. Adde 2 Cor. 6, 14. 15. In *Aboda Sara* c. I. f. 12. dicitur: cum idololatris non licet conuersari neque comedere. conf. 10. *Andr. Schmid. diss. de factis & factis duorum prophetarum.* §. 19-23.

§. LIII. 5) A prophetarum institutis plane abhorrebat, pro miraculis patris, aut adnuntiatione voluntatis diuinæ aliquid proemii loco accipere. Id vel ex *Elise* exemplo 2 *Reg.* 5, clarum est.

§. LIV. His præmissis tale tandem exurgit ratiocinium: *Quicumque Dei seruus, singulari gratia ornatus, (§. 51) non solum contra consuetum sui ordinis morem agit (§. 52) verum etiam aliquid sua persona, quam sustinet, maxime indignum admittit (§. 52) ac legem diuinam, perspicue propositam, præcipitanter violat (§. 49) cum tamen, alios ad obedientiam inuitaturus, partim panis a numine infligendis terret, partim miraculis stupendis percellit, (§. 50) is merito a Deo punitur; atqui hic propheta talis fuit &c. Ergo.*

§. LV. Si quis vero dixerit, ipsum culpa ferre carere, quia propheta senex cum persuasione visionis sibi factæ deceperit, tum respondeo 1) cogitandum esse cum vate ipsum numen antea fuisse locutum. Quis ergo dubitaret, quin idem eundem de voluntatis suæ mutatione, si qua futura fuisset, rursus ipse sit admoniturus, 2) Debebat vates reliqua pseudo prophetarum criteria conferre, ex iisque concludere mendacissima esse, quæ narrata erant a viro, cuius auctoritatem plane non perspexerat. *Paullus* sane ad *Gal.* 1. monet, præconium aliud & diuersum nullum admittendum esse, etsi vel maxime angelus de cælo ei contradiceret, 3) Saltem oportebat eum, precibus ad Deum factis, explorare, num seria ea sit Dei voluntas, quam confinxerat senex. Non viuam, nisi Deus nolentem peccare de rei falsitate conuicisset. Sed proh dolor! vno cæcoque impetu fidem adhibebat decipienti. Rectissime ergo & heic valet illud:

*Qui leuiter credit, deceptus sepe recedit.*

§. LVI. Itaque idem illi accidit, quod Atheniensium legatis, quos Athenienses, in Arcadium missos, quia alia via iverant, quam qua fuerat imperatum, tametsi rem bene gessissent, tamen morte multarunt. conf. *Rochart. Hieroz.*


P. I. p. 207

S. D. G.











Te 2608

ULB Halle  
003 904 288

3




fu


Retw ✓











12

DISSERTATIO,  
<sup>QVA</sup>  
 ILLVSTRI  
 DE  
**PROPHETA**  
 MIRACVLOSE  
 A LEONE NECATO  
 HISTORIAE,  
 I REGVM XIII DESCRIPTAE,  
 LVX PHILOLOGICA ACCENDITVR,  
<sup>QVAM,</sup>  
 AVSPICE DEO,  
*Consentiente Inclyto Philosophorum Ordine,*  
 IN ACADEMIA PATRIA  
 PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI  
 Ad D. *Septembr. MDCCXXXIII.*  
 SVBIICIVNT  
 PRAESES  
**M. IO. FRIDERICVS STIEBRITZ,**  
 ET  
 RESPONDENS  
**CHRISTIANVS FRIDERICVS BOEHME,**  
 S. S. THEOL. ET PHIL. CVLT.

---

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*  
 TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

